

Unde verificatur; quod dicitur in Psalmo, scilicet, quod ex utero per umbilicarem venam disruptam fuerit vere a Deo extracta, atque educta; quanvis Virgo mater per extractionem illam nullum pepererit dolorem. Sic respondet Serry; qui & subdit, quod Virgo puerpera in ipsa partus effusione non ab omni abstinuit actu, nihilque enixa est, quia sic dici non posset, quod peperisset; ac molliter, ac leniter emisit foetum. Et hoc inquit, Nyssenum homil. 13, in Cantica intellexisse, quando dixit: *Virginem ne partum quidem sensisse; nempe, quod non habuerit partus molestum, ac gravem sensum.*

Ad II. Respondet S. Thomas 3. par. qu. 35, art. 6. ad 1., dicendo, quod dolor partus consequitur in muliere commixtionem virilem. Unde Genes. 3. postquam dictum est: *In dolore paries, subditur: Et sub viri potestate eris. Sed sicut dicit Augustinus in sermone de Assumpt. B. Virginis, ab hac sententia excipitur Virgo Mater Dei, quæ quia sine peccati colluvione, & sine virilis admixtionis detrimento Christum suscepit, sine dolore genuit, & sine integritatis violatione, pudore Virginitatis, integro permansit. Christus autem mortem suscepit spontanea voluntate: ut pro nobis satisfaceret, non quasi ex necessitate illius sententia; quia ipse mortis debitor non erat.*

Ad III. Ideo Christus mori voluit cum dolore, quia per mortem suam destruere volebat mortem nostram, & consequenter dolore suo nos a doloribus liberare. Mater autem ejus non debebat hoc præstare, quod superabundanter præstandum erat a Christo, & ideo non debebat cum dolore parere.

Ad IV. Liber ille a S. Thoma dicitur apocryphus, & contra illum asserti auctoritatem Hieronymi in lib. contra Helvidium, quam nos attulimus in probationibus. Et ex eo, quod dicitur Lucæ 1., Deiparam scilicet puerum, quem pepererat, pannis involvisse, & in præsepio posuisse, probare intendit, quod ea, quæ dicuntur in libro illo, Apocryphorum, esse deliramenta.

Ad V. Molanus lib. 2. de Imaginibus reprehendit Pictorum illorum audaciam, qui Virgini parienti obstetricem affingunt, & quæ eidem forbitiunculas porrigat ad reficiendas vires fessæ, & imbecillis puerperæ. Quibus addit Serry, quod hæc omnes sunt nugæ profecto nugæ, & æque pugacissimæ.

Ad VI. Anastasia, de qua loquitur objectio, in fine tertii Ecclesiæ seculi, passa est sub Diocletiano. Qua ergo ratione obstetricis officium erga B. Virginem agere poterat; Ita Baronius in notis ad diem 25. Decembris Martyrologii Romani, qui non solum hoc dicit putridum commentum, sed etiam intolerabile anachronismum. In Missa tamen Nativitatis Domini, quæ dicitur in aurora, fit S. Anastasiæ commemoratio, quod die illa martyrio fuerit coronata, non autem anno illo, quo Christus Dominus est natus, & quod etiam die illa Ecclesiæ ad illius templum Romæ erectum stationem constituerit.

Ad VII. Serry respondet, quod non necessitate, sed humilitate puerpera recubabit, & lassitudinem externa specie ostenderit, ut innocuum, & doloribus liberum puerperium occultaret. Et hoc dicit ad excusandos Pictores illos, qui hoc ipsum coloribus expriment, Attamen deinde subdit idem Serry: „ Verum qui Pictores voluit excusatos, videat, ne Virginem vitiosæ simulationis incuset. Nec enim, ut purgationis, ita & cubitus certi dies a lege designati erant, quos ex humilitate, aut ex obedientia observare, necesse esset. „

VIII. Dato, quod canone illo prohibeatur cultus erga secundinas, non per hoc tamen fit, quod secundinæ illæ vere in partu Virginis intervenerint; immo potius oppositum. Et quod latinus interpres non verterit sine dolore, non per hoc asseritur in Canone, quod non fuerit sine secundinis; Immo potius contrarium. Cæterum quod Episcopi Græci in Trullana Synodo congregati, citato Canone 79. damnaverint quoque illos, qui dicebant, Christi Corpus secundinis involutum, ex Virginis utero exiisse, asserit Graveson verbis hisce: „ Addo insuper, Episcopos Græcos, in Synodo Trullana congregatos, damnasse Canone 79. sententiam illorum, qui Corpus Christi secundinis, seu membranis involutum, ex utero Mariæ Virginis exiisse, affirmabant; „ hoc est ne secundinas adorarent.

Ad IX. Nomine impedimentorum, quæ asserit Tertullianus, intelligi recte possunt vincula naturalia, per quæ Christi corpusculum Mariæ Virginis corpori cohærebat, atque in utero conjungebatur; & quæ diximus in responsione ad I. per umbilicarem venam fuisse disruptam a Deo molliter, ac leniter, quando foetus a Deipara effusus est. Et nomine membrano-

rum,